Europae atque Asiae fatis concurrerit orbis,
audiit et si quem tellus extrema refuso
summovet oceano et si quem extenta plagarum
quattuor in medio dirimit plaga Solis iniqui.
diluvio ex illo, tot vasta per aequora vecti
dis sedem exiguam patriis litusque rogamus
innocuum et cunctis undamque auramque patentem.
non erimus regno indecores, nec vestra feretur
fama levis tantique abolescet gratia facti,
nec Troiam Ausonios gremio excepisse pigebit.
fata per Aeneae iuro dextramque potentem
sive fide seu quis bello est expertus et armis:
multi nos populi, multae — ne temne, quod ultro
praeferimus manibus vittas ac verba precantia —
et petiere sibi et voluere adiungere gentes;
sed nos fata deum vestras exquirere terras
imperiis egere suis. hinc Dardanus ortus;
huc repetit iussisque ingentibus urget Apollo
Tyrrhenum ad Thybrim et fontis vada sacra Numici.
dat tibi praeterea fortunae parva prioris
munera, reliquias Troia ex ardente receptas.
hoc pater Anchises auro libabat ad aras,
hoc Priami gestamen erat, cum iura vocatis
more daret populis, sceptrumque sacerque tiaras
Iliadumque labor vestes.'
   Talibus Ilionei dictis defixa Latinus
obtutu tenet ora soloque inmobilis haeret,
intentos volvens oculos. nec purpura regem
picta movet nec sceptra movent Priameïa tantum,
quantum in conubio natae thalamoque moratur,
et veteris Fauni volvit sub pectore sortem:
hunc illum fatis externa ab sede profectum
portendi generum paribusque in regna vocari
auspiciis, huic progeniem virtute futuram
egregiam et totum quae viribus occupet orbem.
tandem laetus ait: 'di nostra incepta secundent
auguriumque suum. dabitur Troiane, quod optas;